Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1205
Quelle:
Copyright:

quarta feria, cum quatuor tempora &c. instarent. Item: *Tunc recessit Juuenis Schenk de limpurg* (Academiae, ut videtur, discipulus). *Zetter, Gruer detenti per principem Albertum 5tum* (homines fortasse factiosi uni Tutorum ejus adhaerentes). *Tunc erat magna pestilentia in franconia.* Hactenus homo temporum suorum curiosus.

VII. *fol.* 128. *Concordancie*, ut e calce adsumo, *super totam summam fratris thome super 4 scripta sententiarum et super summam contra gentiles secundum ordinem alphabeti.* Accedit *Alia tabula super scriptum quarti* (Sententiar.) et *Contradictiones sancti thome*, quibus tamen alia manus superimposuit: *Has contradictiones non credo omnes posse reperiri in scriptis sancti Thome.* Quin et ipse Librarius ita finit: *De hijs autem contradictionibus vide concordanciam in quodam libro super hoc specialiter compilato.* Nos jam utrumque alibi hoc *Volumine* retulimus.

VIII. *fol.* 170. *Articuli*, ut in calce habetur, *Parysius dampnati.* Habetur ejusmodi Syllabus in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 329. alius ad calcem *Sententiarum Pet. Lombardi* edit. *Lovan.* 1546. f. Omnes habent *Stephani Templerii* Ep. *Parisini* Praeloquium, quod incipit: *Universis presentes literas inspecturis Stephanus permissione diuina parysiensis ecclesie minister* &c. sed istud aliis a. 1270. aut 77. nobis vero a. 1286. datum est. Praeterea *Articuli* in nostro Codice ad alphabetum coordinati sunt, et adpendice instructi, quae VII. *Articulos* continet circa formam Corporis humani *Oxonii* condemnatos nulla temporis addita mentione.

IX. *fol.* 175. *Hic annotatur Decretum abbreuiatum, in quo sub planis verbis continetur tota vis id est intencio decretorum, omnes distinctiones, cause et cuiuslibet cause questiones, et cuiuslibet questionis solutio regulariter declarata prout secundum Magistrum Gratianum determinantur in decretis.* Haec Inscriptio labore levat plura dicendi. Addit tamen Scriptor: *Explicit Auratum* (Decretum?) *satis incorrectum propter exemplar.*

X. *fol.* 178. p. 2. *Incipiunt Rubrice et principia decretalium in quinque libros ipsarum;* videlicet *Gregorii* IX.

XI. *fol.* 184. p. 2. *Vsus chilindri.* Initium: *Pars 8 que est de vsu chilindri 4er habet Capitula, quorum primum est de altitudine solis, 2m de punctis vmbre, 3m de horis diei 4m de altitudine rei.* Succincta ad Gnomonicen Institutio, nescio unde, evulsa.

DXV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 180. f. maj. per duas columnas charactere crassiusculo, pallidiore exaratus, coloribus illustratus, sed aevo aliquantum adtritus, et olim, ut Theca praefert, a M. *Petro de Pirchenwart* datus ducali Collegio *Commentarius* vastus est *in Libb. I. et II.* U. 314